



Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Sectio IV. Bonitas & Malitia moralis ex Circumstantiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)

VI. Actus indifferens propter finem malum

Habet etiam unicam malitiam ex fine, ut ambulare, loqui, donare, luxurie carere. Sicut e contra, si fieret actus malus propter finem indifferentem, ut medium magicum pro profanitate: &c.

VII. Actus indifferens propter finem indifferentem,

Ut ambulare, comedere, bibere, fricare herbam folius refectionis, vel recreationis gratia: in specie omnino manet indifferens. Et etiam in individuo, *infra n. 31*: mentio fiet. In dictis adnota, quando in confessione explicanda sit intentio finis? Quando nimirum intentio finis afficiens actum, mortalis est, ut in 2. 4. casu, alius non.

SECTIO IV.

Bonitas, & malitia moralis ex circumstantiis.

SUMMARIUM.

19. Circumstantia sunt particulares conditiones, sive operantem, sive objectam accidentaliter afficientes, & quasi circumstantes.
20. Actus humanus etiam internus efficax, non in se sumit malitiam a circumstantiis cognitis, & indirecte tantum volitis.
21. Bonitatem vero non nisi a circumstantiis cognitis, & directe intentis.
22. Circumstantia aggravantes tantum dicuntur, quando augmentant, vel minuant bonitatem, vel malitiam.

intra eandem speciem: mutantur verò speciem, qua actui notam, & diversam bonitatis, vel malitia speciem afferunt.

23. Circumstantia communiter sex numerantur, hoc versu: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo quando.
24. Quis, non personam ipsam operantem, sed ejus conditionem, & qualitatem significans, sæpe mutat speciem.
25. Quid pariter non ipsum objectum, sed ejus conditionem, vel quantitatem significans, etiam sæpe speciem mutat.
26. Similiter ubi, qualitatem loci denotans, sæpe actui novam malitia speciem addit.
27. Quibus auxiliis, quævis media, causas, vel occasiones operandi significans, aliquando auget tantum malitiam, aliquando etiam mutat speciem.
28. Quomodo actionis modum, magis vel minus voluntarium, ac liberum, intensum, vel remissum, &c. significans, plerumque solum auget, vel minuit bonitatem, vel malitiam actus.
29. Quando proprie qualitatem temporis Sacri, vel nominis Sacri significans, ratione sui, & per se loquendo, pariter confert actui.

Circumstantiæ dicuntur actuum humanorum, & ac moralium particulares, & accidentales conditiones, & affectiones, sic vocatæ, quòd actum humanum, operantem, & objectum accidentaliter afficiant, & quasi circumstant. Accipe exemplum in actu bono, & malo, Eleemosynæ, & Furti.

De substantia eleemosynæ tantum sunt homo datus, & genus accipiens, & ipsa traditio pecuniæ, vel alterius mediæ apti ad sublevandam miseriam corporalem egeni. Hic verò tam ipsum actum, quam operantem, & objectum variæ circumstantiæ.

tiæ possunt afficere, & magis, vel minus bonum
vel etiam malum actum efficere. Utpote: *Qui*
dat? dives, an pauper? *Quid dat?* multum, an pa-
rum? suum, an alienum? *Cur dat?* an ad debitum
bonum, an ad indebitum malum finem? *Quomodo*
dat? an magno, vel parvo affectu? An cum
indignatione, exprobratione, &c.

Similiter in furto, de substantia actus sunt
modo accipiens, res aliena, & ejus ablatio in
domino. Hic rursus actum, operantem, & ob-
jectum variæ circumstantiæ afficere possunt, & in-
tutum reddere magis, vel minus malum, licet magis
quam bonum. *Quis?* Dives, an pauper? In
gravi, an etiam extremâ necessitate laborans
quo casu furtum omninò cessaret. *Quid?* an ma-
lum, parum, pecuniam, rem sacram, vel prophe-
tiam? *Ubi?* an in loco sacro, vel prophano? *Quibus*
auxiliis, an armatâ manu, instrumentis prohibi-
tis, mediis magicis? *Cur?* an etiam ad alium ma-
lum finem? *Quomodo?* an ex proposito, vel libe-
tâ subreptione, an occultè, vel dolo, an palam, cum
violenia, læsione effractione? *Quando?* an tem-
pore belli, famis &c.

ASSERTIO IV.

Actus humanus, etiam internus efficax, secundum
suam bonitatem, & malitiam etiam a circum-
stantiis cognitis, & aliquo modo volitis, immu-
tatur tantum, aliquando verò etiam speciem
mutantem. Communis doctrina.

§. I.

Actus humanus, etiam internus efficax &c. 20
 Omnis quidem actus internus efficax, & inefficax sumit bonitatem, aut malitiam à circumstantiis quibusvis directè volitis, & intentis, at primariam ac specificam tanquam ab objecto saltem partiali principali, non tanquam à circumstantia, ut supra num. 12. notandum est. Solus autem actus internus efficax, non item inefficax; sumit bonitatem aut malitiam à circumstantiis indirectè tantum volitis, juxta communem Doctorum apud Vasq. hic disp. 57. c. 2. Tanner. tom. 2. disp. 2. q. 5. dub. 7. Ratio est. Quia actus internus inefficax; simplex velleitas, complacentia, delectatio morosa, &c. fertur in objectum præcisè ut objectivè proponitur in intellectu, ideòque faciliè abstractit à circumstantiis annexis quamvis cognitis. Unde qui morosè delectatur de ligata, consanguinea, Sacra &c. præcisè ut fœmina formosa est, committit actum simplicis impudiciæ, vel fornicationis mentalis, ut proinde in confessione circumstantias personæ explicare opus non sit. At verò actus internus efficax tendit in ipsum actum externum, ut subjectivè exercendum circa objectum, prout est à parte rei: ideòque minimè potest abstrahere à circumstantiis annexis, sed volens actum, necessariò simul vult circumstantias annexas cognititas, v. g. efficaciter concupiscens fœminam, quam scit, vel quomodo libet apprehendit ligatam, consanguineam, sacram, verè committit actum adulterii, incestus, sacrilegii, proinde necessariò explicat.

candum in confessione. Unde ulterius, qui effu-
citer concupisceret aliquam conceptu contu-
cujuscunque conditionis, aut aliquam quamvis
que ex tota congregatione, in qua scit multas
ligatas, consanguineas &c. verè committit
peccatum qualificatum necessariò aperiendum
confessione. Quòd si verò quis conceptu
abstracto concupiscat fœminam in genere,
planè cogitando de ejus qualitate. probatur
committit actum simplicis fornicationis tantum.
Quia licèt non habeat circumstantiam fœminam
solutam, habet tamen totam, & solam malitiam
simplicis fornicationis, & nullam aliam. Debet
tamen explicare in confessione, se concupivisse ta-
minam in communi, non ob exprimendam
quam specialem malitiam, sed ne mentiarur
primendo certam personam concupitam qualitate.
Sic rectè *Tamb. l. i. Decal. c. 1. §. 4. n. 14.*
Quamvis aliter sentiat *Sanchez l. 1. Moral. c. 1.*
n. 5. quem vide.

§. II.

21 **S**umit bonitatem & malitiam à circumstantiis
cognitis &c. Ratio jam insinuata est. Quia
actus humanus externus efficax in individuo
in objectum prout cognoscitur esse à parte
affectum suis circumstantiis, quæ proinde con-
ditiones individuantes actionum humanarum
cuntur: ac proinde omnis voluntariè eliciendus
lem actum in individuo in his circumstantiis
teur etiam indirectè scilicet velle omnes ejus
cumstantias cognititas, & per se conjunctas ad

operanti, vel objecto: atqui constat, illas circumstantias esse aliquando bonas, & honestas, aliquando verò malas, & prohibitas ad talem actum (ut circumstantia loci sacri est optima ad orationem, pessima ad furtum) adeoque actum voluntariè ad se tendentem, aliquâ bonitate, vel malitiâ afficient: ergo actus humanus sumit suam bonitatem, & malitiam etiam à circumstantiis, utiq; cognitis, & ideò aliquo modo volitis, scilicet, vel directè, vel indirectè. Ubi notandum discrimen est, quoad bonitatem & malitiam: nam ad hoc ut actus sumat bonitatem à circumstantia bona v.g. ut orans in loco sacro: dans eleemosynam personæ sacræ vel religiosæ, addat actui novam bonitatem Religionis ex circumstantia loci sacri, vel personæ sacræ, omninò necesse est, ut ipsa circumstantia bona cognita, per se directè, explicitè, vel implicitè volita ac intenta sit. Alioquin, si quamvis cognita, tamen nullo modo attentata, vel etiam præcisa, seu exclusâ sit, nullam poterit conferre bonitatem. At conerà, ut actus sumat malitiam ex circumstantia mala (per se tamen conjunctâ actui, vel naturaliter consequente) sufficit, illam esse cognitam, nec opus est, esse per se directè ullo modo intentam vel volitam. Sic furans scienter rem sacram, aut violans personam sacram, contrahit malitiam sacrilegii ex circumstantia rei, vel personæ sacræ, etsi illam circumstantiam per se minimè velit, & intendat, quinimò quàm maximè nollet esse Sacram. Ratio utriusque assignata est supra de volitione ipsius honestatis, ac malitiæ objecti, n. 9. hic facile

facile applicanda. Cæterum à circumstantiis per accidens tantum actui conjunctis, vel consequentibus, nullam actus recipit malitiam, nisi ipsa per se directe volita, ac intenta sit, ideòque objectum actus potius, quàm circumstantia evadat. Alio enim nullo modo erit volita: non directe, ut proponitur: nec indirecte, quia non necessario sequitur actum, vel objectum volitum. Sic prædicatio Christi, & Apostolorum multas habebat concutitas blasphemias, & peccata Judæorum, bene prævisa; at quia per accidens tantum sequebantur ex mera malitia Judæorum, nulla inde prædicatio ni accessit malitia. Sic, suadente necessitate, & utilitate gravi, licite potes petere administrationem Sacramenti à tuo Parocho, quem concubina aut scis administrando peccaturum, aut murum usurario, quem prævides non nisi cum usura tibi mine mutuaturum &c. Ut notat etiam *Scorum* 4. d. 5. q. 2. *Navarr. c. 14. n. 18.* Sed de his materia de scandalo.

§. III.

22 **A**ctus ergo humanus sumit bonitatem, & malitiam ex circumstantiis *semper quidem accidentalem actui, aliquando tamen aggravantem tantum, seu intra eandem speciem majorem vel minorem: aliquando verò speciem mutantem seu diversæ speciei à bonitate, vel malitia substantiali actus.* Atque exinde circumstantiæ aliæ dicuntur aggravantes tantum, aliæ verò speciem mutantem, stilo communissimo.

Circumstantiæ aggravantes tantum dicuntur, quæ solum augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam actus intra eandem speciem virtutis, vel peccati: quando nimirum circumstantia addita actui, in suo conceptu non involvit aliam speciem bonitatis vel malitiæ, distinctam à bonitate, vel malitiâ ipsius actus, sed eandem solum auget, vel minuit. Uti sunt generatim. 1. Majus vel minus voluntarium, & libertas actus. 2. Major vel minor intentio, vel vehementia actus. 3. Major vel minor duratio, vel mora actus boni, vel mali. 4. Major vel minor quantitas materiæ, vel objecti: exempla habes infra in circumstantia *Quomodo*, & supra *de ignorantia, metu, concupiscentia*.

Circumstantiæ speciem mutantem dicuntur, quæ actui novam, ac diversam speciem bonitatis vel malitiæ afferunt: quando nimirum circumstantia addita actui, ex se habet propriam ac specificam bonitatem, vel malitiam, seu conformitatem, vel difformitatem ad rectam rationem distinctam à bonitate vel malitia propria specifica ipsius actus, ideoque actum ex materia unius virtutis, vel vitii, transfert in materiam alterius virtutis, vel vitii. Sic circumstantia personæ sacræ pauperis per se intenta actui eleemosynæ addit bonitatem virtutis Religionis: actui verò fornicationis addit malitiam sacrilegii. Tritissimum est exemplum in peccato carnali. Si enim fiat inter solutos, est simplex fornicatio. Si à, vel cum ligata est adulterium. Si à vel cum persona Deo sacræ, est sacrilegium. Si inter consanguineos vel affines, est incestus. Si

cum Virgine invita, est stuprum. Si cum vi illa
est raptus. Si contra naturam cum seipſo, est ma-
lities. Si cum eodem sexu, est sodomia: Si cum
diversa specie, est bestialitas. Hæc enim circum-
stantiæ omnes diversas planè malitias adferunt
ætui luxuriæ, contra diversas omninò virtutes,
diversa præcepta, sub motivo diversarum vir-
tutum obligantia, ut intuenti patet. Huc etiam
stant circumstantiæ, quæ actum destructâ bene-
te efficiunt malum, ut supra de fine explicatum
est n. 16.

§. IV.

Circumstantia sigillatim explicata.

23 **C**ircumstantiarum tam speciem mutantium
quam aggravantium sufficiens est numerus
septenarius vulgari versu comprehensus, quæ
alii numerum addant: *Per quæ, quoties, in
auxiliis.*

*Quis. Quid. Ubi. Quibus auxiliis. Quo-
modo. Quando.*

1. **QUIS**

24 **S**ignificat, non ipsam personam operantem
Secundùm se: hæc enim est de substantia, & non
circumstantia actûs: sed conditionem, seu qualita-
tatem personæ operantis, an soluta vel ligata
Clericus, an Laicus &c. Hæc circumstantia
pissimè mutat speciem, & novam malitiæ
ciem confert in peccatis. Ut si persona ligata
cet carnaliter, non jam solum contra castitatem
sed etiam contra justitiam delinquit adulterio.

Sacra voto solenni castitatis adstricta, etiam contra Religionem sacrilegio. Si Prælati, vel Parochus suis opem debitam terre negligat, peccat non tantum contra charitatem vel misericordiam, sicut alius, sed etiam contra justitiam. Si filius Parenti, subditus Principi, Prælati, Magistratui injuriam inferat, peccat non simpliciter contra justitiam, sed etiam contra pietatis, & observantiæ virtutem: & sic de cæteris. Interdum verò intra eandem speciem solum auget, & aggravat malitiam. Sic cæteris paribus, gravius est peccatum fidelis, quam infidelis: Clerici, vel Religiosi, quam laici: Superioris, quam subditi: Sancti, quam non sancti: Item ejus, qui multa à Deo singularia beneficia accepit: qui sæpius jam veniam consecutus relabitur &c. ob annexam implicitam ingratitude: Item gravius est furtum divitis, quam pauperis: aut contra, factum pauperi, quam diviti: &c. Sed de his plura suo loco. Eadem circumstantia interdum etiam actui bono addit novam speciem bonitatis, aut justitiæ, si Parochus officium sedulo exequatur: aut Religionis, ut si jejunium ex voto serves: aut humilitatis in persona excellentiæ &c.

II. QUID

Significat simpliciter non ipsum objectum a-25
Sed quippe quod spectat ad substantiã actûs:
sed conditionem, vel quantitatem objecti, vel ma-
teria, circa quam actio bona, vel mala versatur.
Hæc circumstantia actui malo sæpè novam con-

fert speciem malitiæ aut fornicationi cum alieno
 conjuge, furto rei sacræ, percussioni Clerici, occu-
 sioni Patris, accedit nova species injustitiæ, sacrilegii,
 parricidii, seu impietatis. Aliquando vero
 intra eandem speciem actionis malitiam augetur
 si injuriam inferas homini innocenti, vel tantummodo
 pauperi fureris. Et generaliter huc spectat quanti-
 tas major, vel minor materiæ, quæ sicut peccati
 malitiam auget in furto v. g. ita recti operis boni-
 tatem auget, v. g. in elemosyna. Eadem circum-
 stantia interdum actui bono novam bonitatis spe-
 ciem addit, ut si pauperi Sacerdoti intuitu Sacra-
 dotii sacri des elemosynam, addis misericordiam
 bonitatem Religionis, ut jam bis indicatum.

III. UBI

26 **S**ignificat qualitatem loci, sacri, profani, pu-
 blici, privati, &c. Et quandoque actui novam
 malitiæ speciem tribuit. Sic circumstantia
 sacri seu Ecclesiæ, malitiam sacrilegii tribuit
 primis cuiusvis humani sanguinis effusioni per
 homicidium, mutilationem, vulnerationem. Et
 vis voluntariæ effusioni humani seminis per
 concubine coitum, etiam licitum extra casum
 necessitatis, ac pollutionem voluntariam, non
 solum jure Ecclesiastico, sed probabiliter
 etiam jure divino naturali: cum reverentia
 sacri, specialiter ordinati, ac consecrati ad cultum
 divinum, & Sacrificium Agni immaculati, &
 innocentissimi, ex natura sua quàm maxime repug-
 gnare videatur effusio cruenta sanguinis, & sedi-
 menta seminis humani. Adhuc *Medina; Rodericus*

que, alii cum Suarez. tom. 1. de Relig. l. 3. c. 7. etiam tactus, & actus valde factos in Ecclesia non posse excusari à sacrilegio mortali, idèoque eo casu circumstantiam loci sacri in confessione aperiendam esse: id tamen negant alii communiter. Cajetan. Navarr. Sanchez, Vasq. &c. cum Diana p. 2. Tr. 17. res. 23. Eadem circumstantia malitiam sacrilegii tribuit furto facto in loco sacro, sive sit rei sacræ, sive non, ex lege Ecclesiastica tantum, c. quesivit. 7. q. 9. Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro: aut sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro. Extra hos casus vix ulla alia peccata, etiam detractiones, turpiloquia, aspectus lascivi &c. censenda sunt contrahere malitiam sacrilegii mortalis contra Religionem & reverentiam loci sacri. Cæterum peccata facta in loco publico & coram multis, ordinariè habent annexam malitiam scandali contra charitatem, idèoque necessariò explicandam in confessione, una cum numero scandalizatorum, quod fieri potest. Eadem circumstantia loci interdum intra eandem speciem malitiam actus auget tantum, ut si publicè coram pluribus alicui detrahas, vel calumniam struas, augebitur malitia injustitiæ, de quo infra iterum. Similiter exemplificari potest in actibus bonis.

IV. QUIBUS AUXILIIS,
vel PER QUÆ,

Significat quævis media, causas, vel occasiones
peccandi (aut etiam bonum agendi, de quo
S 5 nulla

nulla difficultas) ut sunt: I. Instrumenta peccandi: quæ aliquando addunt novam speciem malitiæ: ut si pecuniâ furtivâ fornicatus es: si magico damnum intulisti: si lusu prohibitorum decepisti: Aliquando verò intra eandem speciem malitiam augent tantùm, ut si armata prædatus es: si armorum genere ad laedendum vel cruciandum exquisito vel prohibito aliquid vadas &c. II. Alii homines, quos jussu, consensu, seu persuasione ad peccati societatem perduxisti, ubi peccati malitiam illius peccati, ad quod alios inducisti, etiam contrahitur malitia scandali necessario multiplicanda in confessione: excepto casu, quo sceminam non multùm invitam ad peccatum perduxit: tunc enim sufficit dicere fornicatus sum, ex quo facile est intelligere ipsum sollicitâset: si scemina virum sollicitâset: ut notat *Dionysius p. 3. Tract. 4. resol. 7. 14.* III. Occasiones voluntarie peccatorum, quæ solum aggravant malitiam peccatorum: imò idem numero peccatum fit, quando quis voluntariè se exposuit periculo peccandi, v.g. fornicandi, simul efficaciter volens peccare, & mox peccat: tunc sufficet dicere: *Exposito fornicatus sum.* Secus est, quando quis se ponens se periculo peccandi, tunc nondum peccat, sed postea periculo victus, sine intentione peccaret: tunc enim erunt duo distincta peccata necessariò enumeranda in Confessione. *Sanchez l. 1. Moral.*

V. CUR

Significat finem bonum vel malum, jam latè
Explicatum sect. præc.

VI. QUOMODO

Significat modum actionis magis, vel minus 28
Voluntarium ac liberum: intensum, remis-
sum, violentum, moderatum &c. Hæc circum-
stantia plerumque sicut bonitatem in actibus bo-
nis, amoris, doloris &c. ita & malitiam in pecca-
tis solum inter eandem speciem auget. Sic gra-
vius peccatur ex certa deliberata ac libera malitia,
quam ex infirmitate, passione, metu, ignorantia
vincibili: &c. de quibus multa cap. præced. Item
si majori intensione ac vehementiâ indulgeas o-
dio, iræ, aliisque peccatis: si longiori morâ pecca-
tis inhæreas; quò spectat in peccato carnali uti
modis nimis, & extraordinarie lascivis, dummodo
talis modus aliunde speciem non mutet, ut si inci-
perent contra naturam &c. Eadem tamen cir-
cumstantia modi interdum actui addit malitiam
specie diversam: ut in furto violento, malitiam
rapinæ, scilicet contumeliæ specialis contra ob-
servantiæ virtutem: in stupro violento, malitiam
raptus: Item in omni peccato facto ex formali
contemptu, seu directâ non obediendi voluntate
malitiam formalis inobedientiæ: & in omni pec-
cato facto in benefactorem Deum, vel hominem,
expressâ voluntate vilipendendi beneficium acce-
ptum, malitiam formalis ingratiitudinis, ut bene
explicat S. Thomas 3. p. 2. q. 88. a. 3.

VII. QUANDO


29 **S**ignificat propriè qualitatem temporis facti vel non facti. Et hæc circumstantia conuenit actui bonitatem vel malitiam, solummodo accidens, quando nimirum actus specialiter præceptus, vel prohibitus intuitu ipsius temporis facti. Ut diebus festis feriari, diebus jejuniis carnibus abstinere, bonum est ex lege præcipiente, et e contra iis diebus laborare, aut carnes comedere, malum est ex lege eo tempore prohibente. Item quando actus fieret ex speciali, & directè intentione honorandi, vel inhonorandi temporis facti. Ut si die festo, tempore Adventus, Quadragesimæ speciali devotione exerceas bona opera intuitu facti temporis ac mysteriorum eo tempore in Ecclesia celebratorum: exerces specialiter actum virtutis Religionis. Aut contra si die festo tempore sacro committas peccatum aliquod in re, & intentione inhonorandi factum tempus, hoc est in contemptum temporis facti, sine dubio peccatum mortaliter peccato speciali contra Religionem, atque in confessione necessariò aperiendo: *secundum omnes*. At verò secluso omni præcepto, & prohibitione, ac per se loquendo, circumstantia facti temporis non multum confert ad malitiam peccati: unde neque in Confessione explicandum est, an nim. festo, vel profesto die peccaveris etiam carnaliter juxta communem Doctorem sententiam. *Navar. Man. .6. n. 11. Layman. hic c. 5. p. 1. sine. Diana p. 1. Tr. 7. resol. 32. alii apud ipsos*

Nec est paritas inter tempus & locum sacrum. Quia locus tanquam res permanens consecrationis, moralisque sanctitatis capax est; cui proinde mali operis exercitium secundum rectam rationem repugnat: & verè etiam à malè agere volentibus facilè vitari potest. At verò tempus res continuo transiens, nec ullà unquam sui parte simul consistens, non ita capax est consecrationis moralis sanctitatis, sed dicitur sacrum, vel sanctum per accidens ratione sacrorum mysteriorum ac sanctarum operationum, quæ eo tempore recoluntur, vel fieri solent: nec solæ sanctæ actiones fieri debent tempore sacro, nec malè agere volens, illud vitare possit. Quamvis contrarium doceant, S. Antonin. Alenf. Med. alii cum Lessio l. 2. de Just. c. 45. dub. 4. & communis piorum persuasio sit, peccata carnalia facta summis Festis Nativitatis Christi, Cœnæ Domini, Paschæ &c. item die Confessionis, Communionis, continere peculiarem saltem aggravantem malitiam, atque adeò in confessione explicanda, Laudandæ ejusmodi timorate conscientiæ, & consulenda praxis, non tamen urgenda. Quæ circumstantiæ necessariò sint explicandæ in confessione, latè videre poterit.

p. 3. Theol. Sacram. de Pœnit.

p. 3. q. 4. à num.

248.



SE